

quæcumque causantur ab agente, per ejus etiam providentiam ordinantur *C.* quod quæcumque per providentiam ordinantur etiam ab eodem causentur, nisi forsitan causalitas sumatur pro permissione *N.* 1<sup>um</sup> duntaxat ibid. et in corpore articuli et in resp. ad 2. docuit *S. Doctor*, minime autem 2<sup>um</sup>, sed potius cum *S. Auc.* sensit, qui *L. imp. de Genes. ad lit. c. 5. n. 25.* ait: *Quædam et facit Deus et ordinat: quædam vero tantum ordinat.*

*Ad Conf. R. D. A.* Axioma est: quæ sunt in nobis, non esse a providentia; quatenus actiones nobis liberæ nec sunt totaliter a divina providentia, seu ab ea sola, nec ab ea necessitatem capiunt *C.* quatenus providentiæ plane subtrahuntur, nec ab ea saltem ordinantur *N.* Exceptionem priorem addit *DAMASC. L. 2. de fid. c. 29.* scribens: *Ea, quæ in nobis sunt, non providentiæ solum sunt, sed et liberæ potestatis nostræ ac arbitrii;* alteram ad alium *Damasceni* locum ex *Dial. cont. Manich. desumptum* adjungit *S. Th. L. 3. cont. Gent. c. 90. n. 6.* inquit: *ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, divine determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Alterutram expositionem insinuant *NEMES. L. de nat. hom. c. 40.* et *THEODOR. L. 5. de Provid.*

188. *Obj. II.* Si qua Deo foret providentia, ea esset omniperfecta: sed quæ in mundo est providentia: non est omniperfecta, nam 1<sup>o</sup>. non est sapiens, cum sinat mundum tantis ac tam variis concuti motibus: 2<sup>o</sup>. non est bona, cum non excludat mala et defectus tum naturæ tum libertatis: 3<sup>o</sup>. non est justa, cum patiat justos affligi, impios lætari et fortuna florere; ergo.

*R. N. min.* Quoad 1<sup>um</sup>, sapientiam Dei probant hi ipsi motus et perturbationes, ex quorum effectibus mirabilia ejus consilia sæpe nobis manifestantur; si vero nobis non pateant, non ideo negare fas est; cum altitudo sit divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, incomprehensibilia judicia et investigabiles viæ ejus.

Quoad 2<sup>um</sup>, quare mala Deus patiat esse, cum bonus sit, respondet *PROSPER* in *Carm. de Provid. v. 121-141.* quia, quod uni malum, alteri bonum est; unde cum Deus tanquam Provisor universalis respiciat ad bonum totius, ne hoc impediatur, permittit defectum aliquem in particularibus. Cæterum quam apte in universo mala bonis permixta sint, explicant *PATRES* exemplis picturæ, musicæ, orationis, ubi sunt contrapositiones; corporis, ubi sunt recessus ac eminentiæ, magnitudines et parvitates; terræ, ubi montes et valles etc. Speciatim vero Deus peccata permittit, ne libertas hominis destruat, sine qua meritum bonorum operum non eluceret; et ut potentiam suam ac bonitatem Deus demonstret, dum bene de malo facit, ut *S. Auc. L. 11. de Civ. c. 18.* et in *Enchir. c. 11.* ostendit.

Quoad 3<sup>um</sup>, justitiam Dei in his vindicant *AMBROS. Offic. L. 1. c. 12., Aug. de civit. Dei L. 1. c. 8., GREG. M. moral. L. 14. c. 23. 24. (al. 51. 52). THEODOR. et alii, apud Petav. de Deo L. 8. c. 5.* rationes plures istius permissionis proferentes. Sufficere interim possunt: ut justis a levibus quibusdam noxis purgentur, tentationibus exerceantur; proficiant et probentur: ut iidem patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum materiam habeant, et admo- neantur præsentia contemnere, vitam meliorem expectare: ut impiorum, si quæ bona fecerint, merita præmiis temporalibus compensentur: ut his

bonis, quasi illecebris, eosdem ad æternam felicitatem Deus alliciat, aut tanquam mediis instruat, quibus salutem suam mercari queant.

*Inst.* Providentia divina vel est generalis, vel particularis: non 1<sup>um</sup>. quia sic non esset providentia singulorum: non 2<sup>um</sup>. quia si in singulis spectatur bonum privatum concordare cum bono totius, sufficit providentia generalis; si autem non concordat cum bono totius, providentia particularis est inefficax. *Conf.* Sicut Regi magis convenit, rerum inferiorum curam committere ministris, quam id negotium per se gerere; sic et Deo id convenit; imo hanc providentiam videtur Deus commisisse angelis, quorum legationes in Scriptura leguntur, et nomen est Spirituum administratoriorum; ergo providentia non in Deo sed in angelis residet.

*R.* Providentia divina generalis æquæ ac particularis est tam quoad subjecta quam quoad fines subjectorum; quia omnium in genere et singulorum in specie curam gerit, atque ad fines proprios ordinat: si tamen finis et bonum particulare stare nequeant cum bono communi, ita præfert bonum commune, ut simul amet particulare, et vel non nisi permissive se habeat ad ejus malum, vel solum voluntate consequente malum velit.

*Ad Conf. R. quoad 1<sup>um</sup>. N. A.* Non enim domini et potestatis argumentum est, quod Reges per constitutos a se Vicarios remotas regant provincias, et munia exerceant, sed impotentiae potius ac limitationis testimonium; cum nec ubique præsto esse, nec omnia simul saltem præstare queant: e contra Deus, qui est omnipotens, sapientissimus et immensus, propria potestate disponit et agit omnia. Quoad 2<sup>um</sup>. *D. A.* Videtur hanc provinciam providentiæ commisisse angelis quoad ordinationem *N.* quoad executionem *Subd.* vel ex necessitate aut virium defectu, vel illis solis rem perficiendam cedendo *N.* ad ostendendam dominationis suæ magnificentiam et cum ac in angelis, sicut in reliquis omnibus creaturis, omnia simul agendo *C.*

## ARTICULUS II.

## AN IN DEO DETUR PROVIDENTIA SUPERNATURALIS?

189. *Nota I.* Cum providentia supernaturalis dicatur a fine ac mediis, quæ naturam superant; finis autem supernaturalis hominis sit æterna salus seu beatitudo, et media huic fini proportionata sint gratiæ ac dona supernaturalia: hinc quæstio ad statum naturæ lapsæ restricta profertur his verbis: An Deus habeat voluntatem salvandi omnes homines, eamque *seriam*, h. e. talem, qua non tantum exoptet ac intendat omnium salutem, sed et ad hanc consequendam præparaverit omnibus ac singulis media divinæ gratiæ sufficientia? Non autem queritur de voluntate absoluta et efficaci ac consequente; cum certum sit, multos non salvari: nec de voluntate externa et metaphorica seu *signi*; cum aliunde certum sit Deum prohibere omnibus malum, ac præcipere tum bonum tum consecutionem æternæ salutis: nec de voluntate antecedente *simplicis complacentiæ*; cum hic affectus respiciat duntaxat salutem possibilem, et quamvis in Deo sit necessarius, tamen concipitur ut sterilis et otiosus, cum vi illius præcise nullum medium applicetur ad obtinendum objectum volitum: nec de voluntate *simplicis desiderii*; quia quatenus hæc quidem activa est mediorum, sed nec efficacium, nec

etiam relative sufficientium, ab adversariis admittitur; sed de voluntate antecedente et conditionata, vera et propria beneplaciti, seria et activâ mediâ relative etiam sufficientium.

190. *Nota II.* Præter eos, qui recte et catholice de hac quæstione sentiunt, tres classes Auctorum distinguere oportet.

1<sup>a</sup>. Est HÆRETICORUM, qui voluntatem in Deo salvandi homines quidem admittunt, sed adjunctis simul erroribus; uti *Origenistæ*, quos quidam compellarunt *Misericordes*, eo quod dicerent vel ipsos damnatos, vel omnes vel plures certe sub diem iudicii esse salvandos, ut L. 21. de Civ. c. 17. seq. S. AUG. refert. *Pelagiani* vero et *Semipelagiani* errabant: *Primo*, quod affirmarent Deum velle *indiscrete*, et indifferenter seu æqualiter omnes homines salvos fieri, ita ut peculiari affectu non magis velit salutem prædestinatorum, quam reproborum; constat ex ep. Prosperi ad AUG. n. 4. et ex FULGENT L. de Incarn. et Grat. (al. ep. 17.) c. 29. *Secundo*, quod ita docerent, Deum omnes velle salvos fieri, si ipsi velint, ut hanc hominum voluntatem salutis, non divinæ gratiæ auxilio, sed solis *naturæ* viribus adscriberent; constat ex ep. HILARI ad AUG. n. 2. et ex AUG. L. 4. adv. Julian. c. 8. n. 42. *Tertio*, quod idem dicerent de salute infantium dependenter ab eorum voluntate *conditionate* futura, quam nempe habituri a Deo prævidebantur, si ad plenioræ ætatem pervenissent; constat ex ep. cit. PROSPERI n. 5. et ex ep. 105. (al. 194. c. 8. n. 35. seq.) S. AUG. ad Sixtum. *Quarto*, quod statuerint Deum ita homines, si ipsi velint, velle salvos, ut una ex parte non possit eos salvare, nisi homines propriis viribus salutem peterent, quærerent et pulsarent: ex altera autem parte debeat eos salvare, si prævideat bene operaturos; quandoquidem opera *naturalia* respective ad gratiam, et opera ex gratia facta respective ad salutem ponebantur tanquam certa lex, mensura ac regula, qua Deus infallibiliter moveretur ad gratiam vel salutem tribuendam; constat rursus ex AUG. ep. 105. (al. 194. c. 2. 3.) ad Sixtum, et PROSPERO in Carm. de Ingratis L. 2. c. 10.

2<sup>a</sup>. Rursus est HÆRETICORUM, voluntatem divinam salvandi omnes negantium. Ad hanc referuntur imprimis *Prædestinatiani*, quorum iste inter alios error erat, Deum non velle salvare, nisi solos electos: CALVINUS passim, toto opere de æterna Dei prædestinatione, docet Deum nolle omnes salvos fieri, sed solos electos; cum vero non satis sibi constaret, jamque illam voluntatem, qua Deus non vult salvare omnes, diceret priorem prævisione peccati originalis, jam vero ista prævisione posteriorem; ortæ sunt inter *Calvinianos* sectæ binæ, quarum una diceret jam, ante lapsum primi hominis prævisum, a Deo aliquos ad salutem, alios ad interitum destinatos; unde *Antelapsarii* dicebantur: altera vero *Postlapsariorum* dicta doceret duplicem hanc destinationem post lapsum prævisum evenisse; quæ quidem pars maxime per *Dordracenam Synodum* confirmata, nunc inter Calvinianos plerosque invaluit. Demum JANSENIUS L. 10. de grat. Christi c. 2. sic ait: *Non potest statui voluntas generalis, qua Deus omnes homines in damnatione primi peccati positos velit salvos fieri, et ex qua voluntate generali remedia et auxilia sufficientia sint omnibus præparata.* Huic declarationi jam L. 3. c. 20. præmiserat illorum Apostoli verborum: *Deus vult omnes homines salvos fieri etc.*, diversas Augustini expositiones; illam verò, quæ hæc verba de generali voluntate Dei, quan-

tum in ipso est, salvandi omnes homines explicat, rejicit *tanquam quæ neque veris gratiæ defensoribus unquam placuit, sed graviter improbata est, neque verbis Apostolicis congruat, sed ab errantibus introducta, et pertinaciter defensa fuit.*

JANSENI doctrina L. 3. c. 17. 20. 21. hæc est: 1<sup>o</sup>. admittit in Deo voluntatem *antecedentem* salvandi omnes homines, sed hos secundum se considerando, et abstrahendo ab illorum peccato, seu ante illorum lapsum prævisum. 2<sup>o</sup>. Eandem voluntatem statuit *actuosam*, utpote ex qua primorum hominum gratia sufficiens, aliæque media procurandæ salutis necessaria profluxerint. 3<sup>o</sup>. Considerando autem homines cum peccato et post eorum lapsum, antecedentem voluntatem statuit in sola præcisione mentis, et nuda quadam *velleitate* nihil omnino operante, et quam etiam Deus habeat erga angelos et homines damnatos. 4<sup>o</sup>. Hanc tamen voluntatem illusoriam, otiosam, ac penitus sterilem esse negat; tum quia paratus est etiamnum conferre omnibus, quam ante peccatum homini conferebat, gratiam, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret: tum quia tribuit quidquid creaturæ rationali a se conditæ ad audiendam sequendamque vocem suam necessarium fuit. Ex quo constat errorem JANSENI in eo versari, quod auxilia gratiæ, quæ Deus ex voluntate antecedente reprobis dat, vel dare paratus est, non sint *relative* sufficientia, nec voluntati vires vere sufficientes præsentent, ut oppositam actualem concupiscentiam hic et nunc prementem superare possint.

3<sup>a</sup>. Est THEOLOGORUM, qui, quamvis gratias *relative* sufficientes omnibus, etiam prædestinatis, concedi doceant, tamen in modo loquendi circa voluntatem Dei salvandi omnes, discrepant a sententia communi. Huc spectant: 1<sup>o</sup>. Qui nullam aliam admittunt omnium salvandorum in Deo voluntatem, quam *signi*; cum enim solam illam voluntatem dicant beneplaciti, quæ efficax est et finem consequitur, multi autem non salventur: respectu reproborum voluntatem beneplaciti, seu simpliciter talem in Deo negant. 2<sup>o</sup>. Qui voluntatem hanc negant esse in Deo *actualiter* et *formaliter*, licet concedant adesse virtualiter et eminenter; quia hic actus: *Volo omnes salvos fieri*, secundum propriam formam non reperitur: in Deo tamen realiter est fons bonitatis ac misericordiæ, vi cujus media generalia contulit, et humano generi proposuit, quibus ad salutem perducere queat. 3<sup>o</sup>. Qui voluntatem hanc explicant per solum amorem *complacentiæ* circa salutem omnium non solum ut possibilem, sed et ut futuram, nempe *conditionate*; simul tamen adjungunt huic complacentiæ simplici actum in Deo alium, vi cujus ad extra operatur, quæ ad salutem conducunt. 4<sup>o</sup>. Qui antecedentem, veram ac seriam *beneplaciti* voluntatem admittunt; sed eam sic explicant, ut non versetur circa salutem ipsam, sed tantum circa salutem antecedentia, auxilia nempe gratiæ vere sufficientia.

191. *Dico I.* Deus voluntate antecedente, vera et propria, sincera ac seria vult salvos fieri non tantum *prædestinatos*, sed etiam alios quosdam. Est *de fide*, et definitum tum in Conciliis Arelatensi, Moguntino, Carisiaco, Tullensi et Valentino contra Prædestinatianos; tum ex condemnatione propositionis quintæ Jansenii.

*Probatur I. ex SCRIPTURA.* Joan. 6. 39. dicitur: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ... ut omnis,*

qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam. Joan. 17. 12. subjungitur: Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, scilicet JUDAS. Ex his sic arguitur: Vera et sincera in Deo voluntas fuit salvandi eos, quos Pater Filio tradidit, ut salvi forent: sed inter eos, quos Filio Pater tradidit, fuit aliquis non prædestinatus, nempe JUDAS; ergo vera et sincera in Deo voluntas fuit salvandi aliquem non prædestinatum; ergo non solos prædestinatos Deus vult salvos fieri. Huic argumento suffragantur CHRYSOST. in Joann. hom. 45. n. 2. THEOPHYL. in c. 6. Joann. v. 37. et in c. 17. v. 12. CYRIL. ALEXANDR. in Joann. c. 6. v. 37. qui, cum dicant JUDAM fuisse Christo datum, et tamen fuisse filium perditionis, falsitatis damnant Jansenistarum versionem Montensem, qua loco vocabuli nisi substituerunt τὸ sed; ut sensus fiat: nemo ex iis, quos dedisti mihi, periit, sed tantum filius perditionis.

Conf. 1. ad Thess. 3. 9. dicitur: Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per D. N. J. C., qui mortuus est pro nobis; quibus verbis manifeste ostendit Paulus voluntatem veram et sinceram Dei salvandi omnes Thessalonicenses: sed nullum est fundamentum dicendi, omnes Thessalonicenses fuisse prædestinatos; ergo.

Prob. II. ex RATIONE. Deus vult sincere salutem omnium illorum, quos adoptat in filios, et regni sui hæredes constituit; quia ex terminis implicat aliquem constituere regni cœlestis hæredem, et non velle sincere ejus salutem: sed de fide est, quod Deus præter prædestinatos etiam alios adoptet in filios, et regni sui hæredes constituat; quia in re ipsa aliqui reprobi justificantur, ut patet ex TRID. Sess. 6. Can. 17. dicente: Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, anathema sit; quod autem, qui justificantur, fiant filii Dei adoptivi, et hæredes cœlestis regni constituantur, liquet ex eod. Sess. ead. ubi c. 4. dicitur, quod justificatio sit translatio in statum gratiæ adoptionis filiorum Dei; et c. 7., quod in justificatione homo ex injusto fiat justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ; ergo Deus vult sincere salutem etiam aliorum præter prædestinatos. Conf. ex morte Christi pro salute etiam aliorum quam prædestinatorum.

192. Dico II. Deus eadem voluntate vult omnes homines, nullo excepto, salvos fieri. Hæc assertio, si non est de fide, ut tamen argumenta referenda cuilibet facile persuadebunt, est saltem fidei proxima, atque ita certa, ut præter publicam atque expressam Ecclesiæ declarationem nihil desit, quominus fidei certitudinem habeat.

Prob. I. ex SCRIPTURA. 1. ad Tim. 2. 1... ait APOST. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus. Loquitur autem: 1º. de voluntate vera et propria, cum nihil sit, quod eam metaphorice ac improprie pro voluntate meri signi jubeat accipi: 2º. de voluntate sincera, seria et actuosa; cum ex ea destinatus sit

Christus mediator hominum, qui et seipsum dedit redemptionem pro omnibus: 3º. de voluntate antecedente; cum aliunde certum sit, hanc voluntatem non esse absolutam et efficacem, quæ in omnibus impleatur: 4º. de voluntate respiciente hominem lapsum; cum de redemptione loquatur, quæ illi uni necessaria est et hoc præsupponit. Deinde constat voluntatem hanc Dei ad omnes et singulos homines extendi. Sicut enim hic monet, orandum esse pro omnibus, nullo excepto; et sicut dicit, tum Deum unum esse omnium et singulorum, tum Christum esse Mediatorem Deum inter ac omnes homines, et Redemptorem etiam omnium, nemine excepto; sic dum asserit, Deum velle omnes homines salvos fieri, intelligi debet neminem excepisse, præsertim cum ideo orandum dicat pro omnibus, quia Deus omnes vult salvos fieri; et ideo asserat id velle, quia unus omnium Deus est, et Christus Mediator ac Redemptor omnium.

Conf. 1. Iis testimoniis, quæ ostendunt Deum nolle aliquem perire; Ezech. 36. 11. Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat. Matth. 18. 14. Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. 2. Petr. 3. 9. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti.

Conf. 2. Iis, quæ significant bonitatem Dei in omnes; Genes. 22. 18. Benedicentur in semine tuo omnes generationes. Joan. 1. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Matth. 18. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Ad Ephes. 4. 6. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

Conf. 3. Illis, quæ demonstrant Christum esse Salvatorem et Redemptorem omnium; Joan. 4. 42. Ipsi audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi. Matth. 18. 11. Venit Filius hominis salvare quod perierat. Ad Rom. 8. 32. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 2. ad Cor. 5. 14. Quoniam si unus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus. 1. Joan. 2. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Prob. II. ex TRADITIONE. Et quidem 1º. ex Conciliis, inter quæ Arelatense (Labb. t. 4. p. 1043. B.) probavit hanc damnationem erroris sexti: Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit. Carisiacum autem cap. 3. sic inquit (Labb. t. 8. p. 157. A.): Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Conf. tum ex Conc. Trid., quod Sess. 6. c. 2. et 3. docet, Christum pro omnibus et singulis mortuum; tum ex symbolis Nicæno et Athanasiano, quorum illud propter nos homines, et propter nostram salutem descendisse; hoc vero propter nostram salutem passum esse Christum proponunt; quæ locutio et universalis est, et non tantum credentes ac profitentes, sed alios comprehendit.

2º. Ex Patribus. Græcos nobis sponte, non tamen sine maxima in eos irreverentia, Jansenius concedit, dum inquit: Nulli imperfectius de gratia, quam Græci, sunt locuti. Ex Latinis sufficere potest Aug., et qui illius aut cœvi, aut sectatores præcipui fuerunt. Sic autem L. de sp. et lit. c. 33. n. 58. inquit: Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem

veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verum seipos fraudant magno et summo bono, malisque penalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Et lib. de Catech. rud. c. 26. n. 52. A quo interitu, hoc est penis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistent misericordiae Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum. Enarrat. in Psalm. 95. num 15.: *Judicabit orbem terrarum in equitate: non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* His adde L. 20. de Civ. c. 6., L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8., L. 2. op. imperf. n. 175. ubi Christum pro omnibus, etiam parvulis, mortuum esse docet. Ex coevis S. AMBROS. L. de parad. c. 8, S. HERON. Comment. in c. 1. ep. ad Ephes., S. PROSP. in Resp. ad 2<sup>am</sup> object. Vincent. et alii. V. PETAVIUM de Deo, L. 10. c. 4. n. 3 et seqq.

*Conf.* ex unanimi veterum et recentiorum Scholasticorum, paucis quibusdam exceptis, consensu, quem GRANDIN, in Comment. hist. de Prædest. et reprob. c. 11. auctores plerosque omnes a seculo duodecimo usque ad superius percurrans, in observationibus c. ult. adjectis, ostendit.

*Prob. 3. ex RATIONE.* Ex parte Dei quidem, 1<sup>a</sup>. desumitur ab ejus providentia. Nam vi hujus debet res quaslibet ad fines proprios per media idonea dirigere et perducere: sed hominis finis est salus æterna, et media ad eam idonea sunt gratiæ auxilia sufficientia; ergo et salutem intendere, et auxilia sufficientia dare debet, ac consequenter serio, quantum est ex se, velle omnes fieri salvos. 2<sup>a</sup>. Ducitur ab amore Dei. Deus res quaslibet a se factas amore singulis proportionato prosequitur; ergo cum homines etiam præ creaturis reliquis amet, et ad hunc amorem maxime pertineat voluntas eos salvandi; hæc omnino asserenda est.

Ex parte hominis rursus duplex ratio. 1<sup>a</sup>. petitur ex firmitate spei christianæ. Nam juxta 1. Petr. 1. 3., et Trident. Sess. 6. 13. omnes prorsus homines firmissimam salutis spem in Dei auxilio collocare debent: sed nisi Deus omnes, etiam non prædestinatos, salvos fieri vellet, spes illa non nisi fluctuans et incerta esse posset, minime autem firmissima; cum nullus sit certus, num ad prædestinatorum numerum pertineat; ergo. 2<sup>a</sup>. Sumitur ex necessitate charitatis divinæ. Ad hanc enim accendit amor Dei in homines, et mors Christi pro nostra salute tolerata: sed hæc incentiva amoris eripiuntur, nisi Deus intelligatur sic dilexisse mundum seu homines omnes et singulos, ut eos salvos vellet, iisque suum Unigenitum daret; ergo.

*Conf.* Ubi Deus signis et argumentis externis testatur se aliquid velle, ibi ejus voluntatem veram et sinceram habet; nisi forte alio signo ipsemet contrarium doceat: sed Deus, signis et argumentis externis, testatur se velle salutem omnium; quia ad eam omnes invitat, ad illam sectandam præceptis, promissis et minis incitat, et se fecisse omnia declarat quæ requiruntur ac sufficienti ad eam obtinendam; nec alio signo ullo contrarium manifestavit; ergo.

193. *Obj. I.* Ad Rom. 9. Paulus quatuor proponit: 1<sup>o</sup>. quod Deus Jacob dilexerit, et Esau odio habuerit, antequam nati essent et quidquam boni vel

mali fecerint: 2<sup>o</sup>. quod Deus cujus vult misereatur, et quem vult induret: 3<sup>o</sup>. quod hunc faciat vas in honorem, alium vero faciat vas in contumeliam: 4<sup>o</sup>. quod non sit currentis neque volentis, sed miserentis Dei. Sed cum his, sive per ea intelligatur prædestinatio ad gloriam, sive vocatio ad gratiam fidei, nequit conciliari voluntas Dei salvandi omnes; ergo.

*R. D. min.* Cum his nequit conciliari voluntas Dei salvandi omnes, sive per ea intelligatur prædestinatio ad gloriam sive vocatio ad fidei gratiam, siquidem sumantur secundum scopum et sensum Apostoli N. si ita non sumantur C. Scopum epistolæ ad Rom. exponit S. AUG. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. sic scribens: *Intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo gloriatur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod data sibi legi servivissent et ea hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant: unde nolebant eandem dari gentilibus, tanquam indignis, nisi judaica sacrificia susciperent.* Hic vero scopus ostendit, nec hic sermonem esse de prædestinatione ad gloriam, nec de vocatione ad gratiam simpliciter talem ac de distributione auxilii sufficientis, quod uni detur, alteri negetur; sed de vocatione ad gratiam fidei, et de distributione doni majoris ac potioris: hancque vocationem et distributionem omnino esse gratuitam.

Itaque advertendum est, temporibus Apostolorum tres præcipuos errores fuisse disseminatos: *primus* erat, Christum fuisse Judæis datum ob illorum merita per legis observantiam: *secundus*, posteritatem Abraham, cui facta est repromissio, computandam esse secundum propagationem et filiationem carnis: *tertius*, igitur solos Judæos ad fidem et gratiam Evangelii esse admittendos. Hos errores S. PAULUS eversurus tres propositiones in epistola ad Rom. opponit: *prima* est, Christum non esse datum ob ullorum merita, sed ex gratuita Dei misericordia et bonitate: *secunda*, Abraham posteritatem, cui promissio Christi facta est, esse sumendam secundum propagationem spiritus; adeoque in filios Abraham computandos, qui spiritum et fidem Abraham imitantur, fidem Christi suscipiunt et ad veritatem Evangelii veniunt, sive secundum carnem filii Abraham sint, sive non sint: *tertia*, igitur prædicandum Evangelium tum Judæis tum gentilibus, et nullos esse excludendos.

Porro *prop. 1<sup>am</sup>*. Apostolus probat imprimis ex hoc, quod tam Judæi qui legem habebant, quam Gentiles qui sine lege vivebant, erant, ante Christi adventum, peccatis pleni et sine meritis bonorum operum; quod argumentum cap. 1. 2. et 3. tractat: deinde ex eo quod ipsemet Abraham, cui facta de Christo repromissio, non per operum merita sed per fidem fuerit justificatus; et hoc in c. 4. exponit: postea per c. 5. et 6. exinde, quia omnes sive Judæi sive gentiles in Adam sunt mortui, et solus Christus omnium sive Judæorum sive gentilium est redemptor et vivificator: demum, quia lex Judæis data non habebat vim purgandi homines a peccatis et vivificandi, quam solam habet gratia, et qua gratia adveniente lex est exinanita; ut in c. 7. et 8. exponit: postremo, quia cum multi essent filii Abraham secundum carnem, non attentis eorum operibus, alios computavit intra semen repromissionis, scilicet Isaac et Jacob, alios exclusit, nempe Ismael et Esau; quod c. 9. ostendit.

*2<sup>am</sup>*. *Prop.* iisdem argumentis probatam, ex instituto incipit ostendere in cit. c. 9. et 10.; et quidem 1<sup>o</sup>. ex exemplis Ismaelis et Esau, qui quamvis